✝

Rde in Xo P.

P. C.

Bononiæ redditæ mihi sunt gratissimæ Rᵉ Vᵉ una cum imagine sua et duabus aliis una pro me, altera pro nostro sene Indo, iste pro more manu capiti imposito veneratus est summè Rᵃᵐ Vᵃᵐ patronum suum cuius, dum vivet, memorem se futurum promittit. Sed ego quid reponam Rᵉ Vᵉ pro tot beneficijs et summæ benevolentiæ exhibitionibus quas Romæ expertus sum, certè sola charitas et sūma animi demissio tanta potuit in Rᵃ Vᵃ, ego enim et meritis careo et planè pulvere pedum Rᵉ Vᵉ nedum eius alloquio dignus sum, verum Romæ in præsentia didicerem Athanasium non solum doctrina sed etiam humilitate Magnum esse, meum erit, dum vivo, omni affectu animi Rᵉ Vᵉ addictissimus esse imitarique eius virtutes quas præsens suspexi et absens suspicio. Rᵃ Vᵃ supplex rogo nunquam obliviscatur mei meque pro suo vel potius pro se habeat, magno hoc mihi incitamento et emolumento erit laborandi et sudandi pro Dei gloria et animarum salute donec Pater familias ad denarium diurnum me vocet, nosque in meliori vita iterum coniungat, Interim Rᵃ Vᵃ hoc a Deo mihi impetrare conetur ne degenerem a præclaris cogitationibus filiorum Dei maiorum nostrorum. Hisce me tibi iterum iterumque enixè comendo. Vale iterum et millies vale vir Dei gloriæ et rei litterariæ nate. Vale meque e numero tuorum nunquam dele. Venetijs 7 Maij 664

Rᵉ Vᵉ minimus in Xᵒ servus

Henricus Roa

P. Kirchero

R.do Patri in X.º P. Atha
nasio Kircher Soc.tis Jesu
Sacerdoti.

Romam.